

05

A

171





I. N. 7.

DISPUTATIO PHYSICA SECUNDA

DE

STILLICIDIO

SANGVINIS EX INTEREM-

TI HOMINIS CADAVERE,

PRÆSENTE OCCISORE,

Quam

In Electorali Leucoreâ

PRÆSES

M. GOTHOFREDUS *Boigt/*

Delicio - Misnicus,

&

RESPONDENS

JOHANNES FRIDERICUS *Schulze/*

Jütrebocensis Saxo,

*publica Philosophantium disquisitioni
submitunt*

In Auditorio Veteri D. 18. Septembr.
Horis matutinis.

WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS BORCKARDI.

Anno M. DC. LXVII.



DISPUTATIO PHYSICA SECLINDA

STILLICIDIO

SANGVINIS EX INTEREM-

TI HOMINIS CADAVERE

PRÆSENTI OCCISORE

In Eleganti Lectione

PRÆSES

M. GOTTHOFREDUS

Delicio - Milnicus

RESPONDENS

JOHANNES FRIDERICUS GÜNTHER

Interpocens Saxo

publici Philosophiam Augustinam

in Academia Vitebergensi

in Auditorio Vitebergensi

in Aula Vitebergensi

WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS BORCKARDI

Anno M. DC. LXXII.



JOVA JUVVA!

De

STILLICIDIO SANGVINIS
EX INTEREMTI HOMINIS CADA-
VERE, PRÆSENTE OCCISORE.

ΠΑΡΑΣΚΕΥΗ,

Statum controversiæ sistens.

ARTICULUS I.

Explicans Nominalia.

§. I.

UT eò faciliùs atq; feliciùs progredi possimus tū in *veri-*
tate adstruendâ, tum in *falsitate* destruendâ, nonnulla cir-
ca *statum controversiæ* hîc observabimus. Et primum,
quidem *nomina*, rerum involucra, evolvemus. Nam
frangat nucem, necesse est, qui nucleo vult frui.

§. II. Quod itaq; attinet ad vocabulum *Stillicidium*, dicitur
illud quasi *stilla cadens*, & est *actus stilla cadentis*. *Stilla* autem
est *gutta*, quæ *cadit*, dum *stat* vel *pendet* quasi *glutinosa*, dicitur *gut-*
ta. Sumimus verò h.l. *stillicidium* non pro *inferiore tecti parte*, è
quâ *stilla* decidunt, Germ. ein Trauff; sed pro ipsa *destillatione*
& *fluxu*; Et hoc quidem sensu non usurpamus illud *strictè*, pro
guttis saltem cadentibus; sed latè, pro *quocumq;* liquidi rubicun-
di *fluxu*, sive *stillatim*, sive *copiosè* promanet.

§. III. Deinde vox *Sanguis* non uno quoq; modo sumitur:
Usurpatur enim (i.) *Physicè* & quidem vel *proprie*, vel *improprie*.
Proprie supponitur iterum vel *generaliter*, pro humore calido,
temperato, dulci, rubicundo in Venis Mesaraicis præparato & in
Epate ex partibus chyli temperatioribus, pinguioribus & aëreis
confecto; vel *specialiter*, pro sincero illo & puro sanguine, qui
aliàs *vehiculum vitæ* salutatur. *Improprie* accipi sive vit pro *cruo-*

re, seu sanguine concreto. (2.) Rhetoricè, atq; hoc sensu adhibetur, vel per *Metaphoram*, quando supponitur aut pro humore, qui sanguini colore similis, quomodo dicitur sanguis uvarum; aut pro humore non rubro, qui per stirpes diffusus eas, ceu sanguis animalia nutrit: Vel per *Metonymiam* tum *subjecti pro adjuncto*, uti vitæ dicitur sanguis, quia eam continet, ceu vehiculum vitalis spiritus; tum *Cause pro effecto*, quomodo vis & vigor, qui est à sanguine, sanguis nuncupatur: tum *Signi pro signato*, quando ipsius homicidium per sanguinem indigitare solemus; tum *Consequentis pro antecedente*, pro pœna, profusum sanguinem consequente: Vel per *Synecdochen*, sic sanguis, pars hominis, quandoq; sumitur pro toto homine. (3.) Politicè, pro consanguineis. (4.) Theologicè, pro irrogenito, carnali &c. de quâ acceptione consulantur Dnn. Theologi. Nos hoc loco modò *Physicè*, licet non specialiter, tamen generaliter & concretè, pro sanguine vero, & cruore; modo Rhetoricè per *Metaphoram*, pro humore aliquo rubicundo supponimus.

§. IV. Quod verò tertio ly *Cadaver* concernit, dicitur illud à *cadendo*, ab eo, quod post mortem ceciderit, & aliàs quidem corpus exanime & exsangue vocatur; sed notandum, quod illud non omni proorsus sanguine semper sit destitutum, præsertim si recens adhuc existat, & cum vindictâ violenter ceciderit. Nam uti Medicorum scholæ docent, calor natus non statim extinguitur, sed ille tantum, qui à corde influit. Quamdiu igitur calor adhuc inest venis, tamdiu etiam sanguis cadaveri inesse dicitur. Quod si verò diu jacuerit, non tam sanguis, quam cruor, vel rubicundus aliquis humor effluere perhibetur. Adeoq; tò *Cadaver* h. l. non supponimus strictè pro corpore penitus exsangui; sed latè, pro corpore, violenter quidem exanimato, sed nonnullis tamen sanguinis reliquiis adhuc prædito.

§. V. Porro vox *Homo* hîc non signat *impropriè*, picturam, vel imaginem hominis, aut aliud quid; sed *propriè* denotat animal rationale, ex animâ rationali & corpore organico constans. Ubi tamen non accipienda est in *statu*, pro eo, qui jam est verus homo; sed in *ampliacione*, pro eo, qui antea fuit verus homo, jam vero talis esse desit.

§. VI. Caterùm cum & in sequentibus mentio *Antipathia*
Sympt

Sympathia atq; *Spirituum* sapius futura sit, operæ quoq; pretium est, illorum verborum hic annotare ambiguitates. Et quidem quod ad *Antipathiam* attinet, tenendum quod vocabulum hoc à nobis non accipiatur *Ethicè*, quatenus significat *odium*, *affectum Ethicum*, vel *vitium morale culpabile*. Hæc enim notatio nominis plus justo strictior est, quam ut præsentis inserviat scopo; sed *Physicè*, quatenus ex *naturali & intrinseco principio* fluit, *corporibus naturalibus* competit, & præcisè *affectum Ethicum* non dicit, sed *dissensum corporum naturalium, ex qualitatibus dissimilitudine ortum, indigitat*.

§. VII. Sic etiam *sympathia* h. l. nō denotat *generaliter, amorem quemcunq;* ex quolibet principio in subjecto ortum, quomodo homo amat canem, venator bestias &c. neq; *moraliter, amorem Ethicum*, qui consistit in *mutuâ & manifesta inter aliquos benevolentia*, vel virtutis, vel voluptatis, vel utilitatis causa, ejus ipsius gratia, qui amatur, concepta. Sic *Sympathia* est inter Damonem & Pythiam; Sed *naturaliter, s. avissimum corporum naturalium consensum, ex naturali & intrinseco principio, qualitatibus videl. similitudine ortum, qualis est inter magnetem & ferrum*.

§. VIII. Tandem & vocabulum SPIRITUS ab æquivocatione, cui substratum est, liberandum. Sumitur enim (1) in *sensu Metaphysico*, pro *substantiâ immateriali*; (2) in *sensu Chymico*, pro *purioribus corporum formis*, per destillationem extractis; (3) in *sensu Platónico*, pro *mediâ quâdam naturâ inter animam & corpus*, dissimiliter illas naturas uniente. Vid. Klotzii *Pnevm. disp. 2. p. 38.* (4) in *sensu Physico*, pro *corpore subtili ac tenui*. Sic dantur *Spiritus animales, vitales, naturales*. Atq; hæc ultima significatio est h. l.

ARTICULUS II. Exponens Realia.

§. I. Eucleatis *nomnibus*, ad rem ipsam pergimus, & in primo statim limine *distingvimus inter cadavera hominum morbo naturali extinctorum; & inter cadavera hominum violentâ morte peremptorum*. Non de illis, sed *his*, impræsentiarum agimus.

§. II. D. inter *cadaver hominis recens interfecti; & inter*

A 3

corpus

corpus jamdiu exanimatum atq; corruptioni proximum. De utroq; querimus.

§. III. *Distingunt adversarii inter occisorem per se; & per accidens talem. Dicunt, se non loqui de homicidâ fortuito; sed qui premeditatò, ex odio, vindictæ cupiditate & similibus causis hominem interemit. Nos dicimus, sanguinem effluere posse tum hoc, tum illo, tum neutro præsentè.*

§. IV. *Distingunt iidem inter cadaver hominis publicâ magistratus autoritate à carnifice, vel aliis occisi; & inter cadaver hominis privata vindictâ à privatis personis interemti. Non illo, sed hoc modo cadaver considerant. Sed nos utriusq; respectu cadaver sanguine stillare posse, asserimus.*

§. V. *Distingunt porrò quoq; inter hominem à magistratu interfectum justè; & injustè. Non illum, sed hunc emittere sanguinem, ajunt. Verùm præter omnem rem.*

§. VI. *Dist. nos inter cadaver, & inter corpus vulneratum adhuc vivum. Non de hoc, sed illo nobis est sermo. Nam quâ hoc, non negamus, quod præsentia percussoris possit sanguinis fluxum commovere. Cum enim illa vulnerato, vindictæ cupido, nō possit non ingrata accidere, idcirco non mirum est, quod humores & Spiritus per imaginationem illam atq; iram commoveantur, & Sanguis in vulnus irruat, cum aliàs in irato foras effundatur calor, & pulsuum maximus & vehementissimus motus subsequatur. Adde, quod illa pars citiùs affluxum humorum recipiat, quæ debilior est, quam ob causam fieri potest, ut maximo cum impetu sanguis è vulnere proruat, præsentè percussore, tum quod hac ratione per iram commoveatur, & quasi pro defensione ad exteriora prorumpat; tū quod pars vulnerata sit debilior & sanguini irruenti resistere nequeat. Vid. Horst. in Diasc. p. 38. Fracastor. l. de Sympatib. cap. 21.*

§. VII. *D. inter stillicidium continuum, & interruptum. Utrumq; adscribimus cadaveri interemti hominis, licet non omni, sed cuidam.*

§. VIII. *D. inter continuum absolutè, quod perpetuò durat; & respectivè, in respectu ad interruptum. Non illo, sed hoc modo quoddam stillicidium appellamus continuum.*

§. IX. *D. inter Stillicidium actuale, & potentiale: sive, inter*

ter

ter *stillare actu*, & *stillare posse*. Ut *ut cadaver non semper actu*
emittat sanguinem, *potest tamen nonnunquam eundem effundere*.

§. X. D. inter fluxum, qui mortem sequitur immediate; & qui
mediate. Non illum, sed hunc attendimus.

§. XI. D. inter conditionem merè accidentariam, quæ effe-
ctum neq; ponit, neq; tollit; & necessariam, sine quâ effectus ob-
tineri nequit. Aliàs vocatur *Conditio sine quâ non*. Nos quan-
do disputamus de *stillicidio sanguinis ex interemti hominis ca-*
davere, presente occisore, tunc tò presente occisore, nec hoc,
sed illo modo intellectum volumus. Id quod observandum cõ-
tra *Non-neminem*, quem postea allegabimus, qui in disp. suâ de
eadem materiâ, Lipsiæ habitâ, presentiam illam occisoris, conditio-
nem sine qua non aiuro dei & ewe cadaverum esse, citra rem & ra-
tionem asseruit. Nam sine quocunq; effluxus sanguinis ex cada-
vere occisi fieri potest, illud non est *conditio sine quâ non* istius ef-
fluxus: Atqui sine *presentiâ occisoris* effluxus sanguinis è cadave-
re occisi fieri potest: Ergò. *Major* ex definitione constat. Descri-
bitur enim *conditio sine quâ non*, quod sit ea, *sine quâ effectus fieri*
non potest. *Minorem* confirmat experientia, cui contradicere, in-
sipientis est.

§. XII. Dist. inter *cadavera omni omninò calore destituta; &*
aliquibus caloris reliquiis adhuc prædita. Non tam illa, quàm hæc
intelligimus. Etsi enim *mors* in momento propriè loquendo fiat,
ut ita protinus in *instanti* anima à corpore separetur: non tamen
sequitur, quod etiam *calor* in eo ipso momento statim penitus per-
eat, quia hic partibus inhæret, iisdemq; ex primo feminis calore
ingeneratus esse videtur.

§. XIII. D. inter *calorem nativum, & elementarem*. Et hunc,
& istum suo modo ad tempus *cadaveri occisi* tribuimus.

§. XIV. D. inter *calorem nativum influentem*, qui juxta non-
nullos, in corde, tanquam vitæ principio, residet, ex eoq; omnibus
reliquis partibus humani corporis vitæ sustentandi causa com-
municatur; & *insitum*, qui à primâ generatione cuilibet parti
implantatus est & per illum influentem conservatur. Ille per
mortem animalis extinguitur; tunc enim animal moritur, quan-
do principium vitæ, cor sc., in communicando vitali Spiritu &
calore deficit; Hic verò, sc. *insitus calor*, non statim penitus interit;
sed

sed *sensim* pabulo & conservatione destitutus, ad interitum tendit.

§. XV. D. inter *calorem ipsum, & caloris sensum*. Sensus quidem caloris non semper adest, sed exinde tamen calor ipse non statim est negandus. Quis enim negat, plantis inesse *calorem nativum*? quomodo enim aliàs crescerent, auferentur, nutrentur? at nullus nostrum *actualem* quandam caliditatem in plantis tactu deprehendere potest. Accedit, quod calor ille, quem actus sentimus in partibus nostri corporis, non tam sit *insitus & innatus calor*, quàm *influens*, qui partibus à corde transmittitur. Videmus enim, quod hyberno tempore sæpius partes quædam externæ propter vehementiam frigoris, *actu frigide* deprehendantur, non quod *insito calore* destituantur (quomodo enim aliàs viverent?) Sed quod *influens* ab externâ injuriâ ad principium suum repellatur.

§. XVI. D. inter *Qualitates Occultas spectatas in se & suâ naturâ; & in applicatione ad præsentem controversiam*. Hoc, non illo sensu eas negamus.

§. XVII. D. inter *animi perturbationem spirituumq; concitationem; & inter vera Antipathie constitutionem*. Per *objectum inimicum, imaginatione conceptum*, non statim *qualitas Antipathie* imprimatur corpori; sed *animi quædam perturbatio* sequitur, ad quam *contenta* diversimodè in vivente corpore moventur.

§. XIX. D. inter *hostes, quatenus sunt homines, vel corpora naturalia; & quatenus unus alterum odit, & illatæ injuriæ vindictam expecit*. Non illo, sed hoc modo inter hostes pugna est.

§. XIX. D. inter *casus naturales, & supernaturales*: Non de his, sed illis nos disputamus.

K A T A Σ K E T H,

Veram sententiam confirmans.

A D S E R T I O:

Cadaver hominis violenter occisi, naturaliter sanguine stillare potest, præsentem, vel absente interfectore.

M E M B R U M I. E X P L I C A T O R I U M.

Dicimus (1) *Cadaver*: ut removeamus corpus vulneratum adhuc *vivum*. Intelligimus verò *cadaver sanguineum*, non *exsangve*

(2) *Homini*.

(2) *Homini*: non in *statu*, sed in *ampliatione*, sumto vocabulo. [3] *Violenter*: hinc excludimus *naturalem mortem* (4) *Occisi*: non saltem *vulnerati*. (5) *naturaliter*: non quidem *necessario*, sed *contingenter*. (6) *sanguine*: non *semper* quidem *vero* ac *proprie dicto*, interim *analogico* (7) *stillare*: non *rigorose*, sed in *sensu laxiori* accepto verbo: & quidem vel *continuo*, vel per *intervalla*: Idq; si *vuln* nondum *plenè coeluerit*, & *sol estu suo* vel aliud *calidum saniem dissolvat*; aut si *vena sanguinem fluxilem* servent, & tandem *putrefacta* eundem *emittant*, qui ob sui *gravitatem primos quosq; meatus atq; cavitates* occupat, donec tandem ita *fluidus exeat* (8) *Potest*: ut *actu non semper stillet*. (9) *Presente vel absente interfectore*; id est, *quocunque presente*, etiam *nemine*.

MEMBRUM II. CONFIRMATORIUM.

§. I. Confirmamus v. assertionem nostram (1) *ex ratione*: Ubi-
cunq; sunt *causae cruentationis naturales*, ibi *naturaliter* quoq; *sanguis* effluere potest *presente vel non presente occisore*. Atqui in *quodam cadavere hominis violenter occisi* sunt *causae cruentationis naturales*. Ergo. *Major* patet, quia *positis causis in actu causandi ponitur effectus*. *Minor* lucem suam è *causarum enumeratione* accipiet. Sunt n. *causae hujus stillicidii* (1) *Sanguinis & calidorum spirituum in venis cadaveris reservatio*. Nemini n., nisi vel *planè hospes* aut *infans* in *physicis* sit, *obscurum esse potest, venas, quæ sunt vasa sanguinis, peculiarem habere virtutem in eo conservando*. Hinc etiam *sanguis*, quamdiu *in venis* est, tamdiu etiam *fluxilis* manet. Ubi *verò è venis exit*, sive *in vivo*, sive *in mortuo corpore*, statim in *grumos concrevit*, idq; propterea, quia *tum calor expirat*, qui *in violenter occiso corpore aliquot dies atq; septimanas remanere potest*, uti dictum. (2) *Venarum putrefactio*. Neq; enim *omnia membra eodem tempore putrescunt*, quia non *omnium eadem natura est*, propterea, quod *humanum corpus penitus dissimulare & organicum*, hoc est, ex *partibus diversæ naturæ compositum* sit. Jam *verò notum est*, quod *membra humidiora & calida præ cæteris facilius putrescant*, unde sequitur, quod *reliqua ad frigiditatem & siccitatem inclinantia* (quibus etiam *venæ annumerandæ sunt*,) non ita *putredini* sint *obnoxia*. Quando *verò demum & his putrefactio* dominatur, tunc *sanguinem* si quem continent, non *amplius retinere possunt, sed eundem emittunt*. Effluit ergo ille per *vias quas-*

B

cunq;

cunq; patentes (3) *Vulneris aliorumq; meatuum apertio.* Quod si enim
via vel cruore, vel sanie vel aliâ quâpiam materiâ obstructa sint,
tunc sanguinem elabi non posse, cuilibet manifestum est. (4) *Calid-
darum expirationum operatio.* Quis enim negabit, quod externi
aëris constitutio calida fluxum sanguinis promoveret, frigida contra
impedire queat, utpote cum omne calidum aperiat rarefaciendo,
frigidum vero corpus recludat constringendo? Ejusmodi verò
halitus atq; effluvia calida excitantur vel à virtute solis calorisficâ,
extrahentur atomos igneas è globo terreno illasq; in aërem ele-
vante; vel ab igne ipso conjuncto, in fornace existente, qui multa
de se largit minima, hypocautum calefacientia; vel à maximâ
hominum in ejusmodi spectaculis concurrentium frequentia, ut adeò
mirum non sit, sæpius tum demum exoriri hanc hæmorrhagiam,
quando adducitur is, qui interfecisse perhibetur, non quidem pro-
pterea, quod interfector sit præsens, sed quia propter hominum fre-
quentiam calidiores exhalationes ad aperiendos corporis meatus
& humorum fluxiones citandas plurimum inserviunt. (5) *Cadaveris
commotio, quæ vel externa, vel interna.* Interna est sanguinis in venis
existentis, qui nonnunquam reliquias quasdam caloris & spirituum
in se retinet, per quas commovetur ad tempus eo motu, qui paulo
ante mortem, animâ adhuc præsentem, eidem fuit impressus. Exter-
na est ea, quando vel à circumstantibus adspectatoribus, vel ab at-
tingente persona, vel ab alio principio externo corpus commovetur,
qua commotione vel leviter factâ, sanguis ad corporis ruit habi-
tum, ac per nares aliasq; vias patentes elabatur.

§. II. (2) *Ex Exemplis.* Quicquid exempla testantur, id negan-
dum non est: atqui cadavera hominum violenter occisorum, nonnun-
quam naturaliter sanguine stillare præsentem vel non præsentem occisore,
testantur exempla; Ergo. Minor tum ex disp. I. art. 1. tum ex sequen-
tibus constat. Anno 1544. Studiosus quidam inter oppidum Dieben
& Lipsiam fuit interfectus, cujus cadaver in aquam est projectum;
ubi totas 4. septimanas congelatum jacuit. Postea verò in eodem
loco inventum & erutum ex glacie in proximum oppidum de-
portatum est. Quod ubi iudex cum civibus adstantibus inspexis-
set, cœpit reverentem stillare sanguinem cadaver, nec amico, nec ini-
mico præsentem. Manlius in Collect. LL. CC. p. 307. Simile exemplum
narrat Greg. Horst. l. d. p. 46. de infante aliquo, à scelerata matre sta-
tira

tim post ortum occiso, & ex arce generosi cujusdam Baronis superioris Austriae in fossam, aqua repletam, injecto. Hic enim cum post quinque demum septimanas forte fortuna repertus atque exentus esset, non *presente matre*, tum temporis adhuc *incerta*, admodum *recenti sanguine stillare coepit*. Habuimus etiam, inquit idem in *Epist. Medic. sect. 9. p. 432.* exemplum non ita pridem hic in vicinia in infante, per matrem ancillam occiso atque in fossam, arce nobilis cujusdam vicinam, per locum secretum hyemali tempore projecto, qui per praetorem loci tandem post septimanas duas observatus atque exentus, *recenti sanguine stillare coepit copiosissime*, non quod *mater praesens* fuerit, (quae *incognita* adhuc alibi, morbum simulans, decumbebat); sed potius quod *ambientis caliditate pori cutis aperirentur, & sanguis interior turgens a centro ad circumferentiam moveretur*. Et quis omnia hanc in rem facientia exempla enumerare posset? Quanquam non omnia literis sint annotata, sed ea potius, quae signarunt homicidam; id tamen ad superioris seculi cacoethen est referendum, certum ex eo facto praesentis interfectoris indicium deponentis.

§. III. Atque huic nostrae sententiae, praeter Auctores disp. 1. citatos, adstipulantur quoque *Physici* illi quondam celeberrimi, B. SPERLINGIUS & HORSTIUS, quorum auctoritatem reique ipsius veritatem a variis *Non-neminis* exceptiunculis vindicare animo jam constituimus. Sit ergo

MEMBRUM III. VINDICATORIUM.

§. I. Prodiit non ita pridem in *Academia Lipsiensi* dissertatio Historico-Physica, de fluxu sanguinis a corpore occisi ad praesentiam occisoris, Auctore M. Job. Pfauzio, Ulmensi. Quam dum perlegimus, multa quidem, quae limam merebantur, deprehendimus; Sed ea tamen pleraque ob pagellarum angustiam intacta jam relinquere cogimur. Hinc saltem ea examinabimus, quae nostram sententiam ejusque defensores B. Sperl. & Horst. petunt, haec tamen lege, ut omnem cavillandi libidinem seponamus, omniaque in solius veritatis amorem suscipiamus. Id quod etiam *Dn. Adversarium* in respondendo praestitutum esse, confidimus.

§. II. Primum ad verba Sperlingii sese convertit, quae ita se habent: *In venis cadaveris aliquot dies & septimanas nonnunquam reservatur sanguis. Hinc l. levi facta commotione ad corporis ruit habitum*

bitum, ac per nares, aliasq; vias patentes, elabitur. Sive adsit, sive absit homicida. Ad hæc ita respondet: *Ut ut concedamus, in cadaveribus tamdiu conservari sanguinem, concedamus etiam, levi motu sanguinem expelli posse, sive absente, sive præfente homicida; negamus tamen, hoc in his exemplis (quorum ingentem satis acervum produxit) im contigisse; ex levi enim motu non cum magno fervore & bullis cieri potest, quod in primo exemplo (Jacobi ab Aqueria, quod videsis in disp. nostræ primæ art. 1. §. 1.) factum &c.* Nos Resp. (1) committitur fallacia ignorationis Elenchi. Nam B. Sperlingius ita quidem ratiocinatur; verū ejus sententia restricta est ad *casus saltim naturales. De supernaturalibus v. quærere, suum non esse putavit.* (2) Committitur etiam fallacia divisionis, dum dividit Dn. Auctor B. Sperlingij verba, eaq; mutilatè citat, omissâ voculâ NONNUNQVAM, quæ tñ. hic utramq; facere paginam videtur. (3) Committitur Fallacia petitionis principij: nam incertum, quid? prorsus falsum est, ex levi motu sanguinem cum magno fervore cieri nō posse. Cum n. pars vulnerata in cadavere semper sit debilior, ita, ut irruenti sanguini resistere nequeat, facilè fieri potest, ut vel levi facta commotione sanguis eò missus affatim erumpat; præsertim si vulnus nondum coaluerit, corpusq; aliàs copioso sanguine præditum sit. Accedit, quod ea sit natura sanguinis in venis existentis, ut reliquias quasdam caloris in se retineat, per quas ad tempus commovetur & in consistentia atq; fluiditate sua retinetur.

§. III. Deinde opponit CL. Auctor exemplum cujusdam *Aulicæ* apud *Christiernum II. Danie Regem*, qui tempore vespertino, luminaribus extinctis, stricto pugione est interemptus in conclavi, in quo tunc temporis præter regium cursorem II. aut 12. nobiles erant. Cū a. de cœdis autore non constaret, ac nobiles culpam in cursorem conferrent; Rex omnes in conclavi dicto cōgregatos custodia tradidit, ac singulos manum dextram nudo interfecti pectori admoveatq; jurato purgare coëgit, quod extra culpā patratae cœdis essent cōstituti. Id cum à nobilibus fieret, corpus occisi nullum signum cruoris emanantis dedit. Accedens cursor mortui pedes primū osculatq; est, deinde manu ad defuncti pectus applicata, sanguis tam ex vulnere, quàm ex naribus magna copia erupit, necisq; autorem ostendit. Huic aliud superaddit exemplum *Militis* cujusdam *Etisvveila* ap. *Lucernates*, nomine *Job. Spiess* qui uxorem pulvinari suffo;

suffocaverat. Adductus v. ad cadaver, 20. die post mortē effusum
mulier sudare cœpit. Propius accedens, juratur se in fontem esse,
sanguis è cadavere per feretrum destillavit. Quæ v., inquit, illius
sudoris causa? num levis facta commotio? an sudor etiam rema-
neret in corpore? annon potius evaporet? annon, quæ dum sudoris
fuit, etiam illa profusionis fuit? sed illius non fuit commotio, cum
ex sepulchro effoderetur: alias n. tum temporis statim stillasset; nec
manuum impositio; nam cur levi manus vel digitorum impositio-
ne, stillaret? cum major motus, cum extolleretur è sepulchro, id non
impetraverit. Verum enim verò Resp. (1) committit Dn. Advers.
quæ *posterius exemplum*, iterum *fallac. Ignoratiois elenchi*. Verba si-
quidem *Sperling*. non $\alpha\pi\lambda\omega\varsigma$, sed $\chi\tau\iota$ intelligenda; nec omnibus in
universum *casibus* sunt applicanda, sed ad *naturales* saltem restrin-
genda. Quando nonnunquam usu evenire videmus, quod corpo-
ra *innocenter extinctorum hominum* sine omni commotione, eo *præci-*
sè tempore, quo *interfector adest*, *hamorrhagiam* patiantur, tunc *ef-*
fectum quidem hunc *admirari*, causas v. *ejus rimari* minimè valemus.
Confer. *Horst. l. c. p. 45.* (2) quæ *prius*, committit *fallaciam petitionis*
principij: nam adhuc in quæstione est, annon commotum fuerit ca-
daver, *osculante cursore & manum pectori applicante*? Interim posi-
to, illud non factum, referendum tamen *exemplum ad casus supera-*
naturales, qui ad nos non spectant.

§. IV. Sed pergit Dn. Magister in *Sperlingio* nostro refutando.
Quod a. dicit, inquit, non semper sanguine stillare cadaver ho-
micidæ præsentem: nec quoties stillat, toties homicidam ad stare; fa-
cile ipsi largimur, nam ex supra dictis patet, non esse in quæstione,
an semper id contingat, sed an aliquando contigerit, nec sumus in
ea opinione, omne in cadavere occiso sanguinis profluvium semper
testari præsentiam homicidæ. Quod a. exinde inferre vult, experi-
entiam hanc esse fallacem, id ipsi negamus: hoc potius hinc sequi-
tur, in hoc casu non temerè judicandum, sed omnes rei circumstā-
tias acc. uratè pensitandas. Resp. Cur ergo, CL. Dn. M. contra *Sper-*
lingium disputas, si omnia ipsi facile largiris. Nam ex ipsius etiam
dictis patet, non esse in quæstione, an semper id contingat, sed an
aliquando contigerit; nec *B. vir* in ea fuit opinione, omne in cada-
vere occiso sanguinis profluvium semper testari præsentiam ho-
micidæ. Quod a. exinde inferre vis, experientiam hanc nō esse fal-

accem, id tibi negamus & hoc argumento probamus: *Quodcumque certū homicide presentis indicium non semper prabet, illud est fallax: Atqui Experientia de sanguine, e cadavere occisi, ad presentiam occisoris stillante, certum homicide presentis indicium non semper prabet; E. est fallax Major est manifesta, quia id, quod presente occisore modo contingit, modo non, modo eodem absente, neminem de illius presentia certum reddere potest. Minorem eam αβγδ confirmamus* (1) *quia hemorrhagia hæc prabet etiam indicium presentis amici. Nam teste Libavio in Tr. de cruent. Cadaver. sponso sponsæ defunctæ assidente sanguis aliquando e cadavere erupit.* (2) *quia hemorrhagias hujus indicium est prorsus αλογον, cum Deus in S.L. nullibi vel ullo apice tradat, aut probet talem ratione dubiū explorandi homicidam. Præscribit quidem modum aliquē ignotum inquirendi maleficum Deut. 21, 1. 2. 3. seq. at v. nullam prorsus mentionem facit hujus inquisitionis, quæ fit per cadaveris cruentationem.* (3) *quia hemorrhagias hujus indicium est periculosum. Facile n. fieri potest, ut innocentissimi etiam homines, præsertim si impotentis sint animi, hanc ob rem consternentur & tremant, adeoq; similem veri percussoris dispositionem acquirant. Imò sæpius comper- tum est, tales innocentissime esse punitos. Quæ omnia cum ita sese habeant (verba sunt CL. JCTI Petr. Heigij in 2q. Jur. part. 2. quest. 39. p. 353) & adhuc in naturâ cum veritate ipsa in Democriti puteo, ut ita loquar, abdita jaceant, nec nisi à prudentissimis erui facile possint; ad judicii necessitatem ea transferre periculosum esset. Judex igitur, monente Marcellin. in hist. sua lib. 29. contentus esse debet, judicare secundum prudentiam, quæ cadit in hominem, relinquendo cætera judicio divino. Quod v. dicit Dn. M. ex illis Sperlingij verbis (Nō sanguine semper stillat &c) non sequi, Experientiam hanc esse fallacem; sed hoc potius, in hoc casu non temere judicandum, sed omnes rei circumstantias accuratè pensandas. Resp. Et hoc, & illud sequitur, sed diverso modo. Illud (sc. experientiam esse fallacem) immediate, ut jam probatum; hoc v. mediatè id quod ita ostendimus. Q. fallax est & judices fallere potest, in eo omnes rei circumstantie accuratè sunt pensanda: Atqui stillicidiū hocce sanguinis &c. tale est; Ergo: Major est certissima. Minor verissima. Cōclusio E. negari nequit. Atq; hæc pro B. SPERLINGIO.*

§. V. Contra Horstium sequentia urget, quæ paucis etiam sunt profligenda. Primum est, ex ipsius, quæ nostra etiam est, sententia se-
qui

qui, nullum esse sanguinis fluxum in illis, in quibus nulla affectus vehe-
mentia præcessit mortem. Sed Resp. negando sequelam: quia, uti dis-
ctum, ex aliis etiam causis hæc hæmorrhagia oritur. Secundum est:
Sanguinem non ex intervallo, sed continuo stillare. Resp. Concedim⁹:
ni si causæ ambientes externæ vel interna corporis constitutio flu-
xum impediunt. Tertium est: illum sanguinis fluxum, qui immediate
mortem sequitur, hic non attendi, sed illum, qui intervallo temporis de-
postero accidit. Resp. Bone Deus! ubinā Horstij l. nos eum attendim⁹?
Est fallacia Ignoratiois Elenchi. Quartum est: in illis, qui maxima cū
vindictæ cupiditate mortui sunt, maximo cum fervore ebullire. Resp.
Concedendo sequelam, sed cōditionatè, sc. nisi aliquid internum
vel externum adsit impedimentum. Quintum est: illam cruentatio-
nem semel deficientem redire non posse [Aut n. illa commotio est adhuc
in sanguine, aut non; si est, fluit si nō est, nō fluere potest] Resp. (α) Di-
ter id, quod fit per se, & per accidens. Per se humorū commotio edu-
cit sanguinem è venis: Per accidens v. obstruuntur nonnunquam il-
læ venæ, v. l. alia accedunt impedimenta, hunc sanguinis fluxum
sistentia. (β) D. inter rō fluere, & effluere. Fluere sanguinem tam diu,
quam diu à reliquiis illis caloris commovetur, concedim⁹: effluere
a. temper, id est, quod nos negamus. Sextum est: Sanguinis abundan-
tiam posse quidem promovere longiorem fluxum, non tñ. ejus impetum
& fervorem majorem, ejusdemq; defectum itidem citius fluxum, non
tñ. ejus impetum sistere, multò minus planè tollere. Resp. Sanguinis co-
pia non tantum in causa est, ut sanguis diutius effluat, sed etiam ut
majori vi erumpat, idq; non tam ob humorum abundantiam, quā
spirituum, in illis residuorum, vehementiam. Sic defectus itidem
sanguinis fluxum ejusq; impetum inhibere potest æq; ac promoveri.
Inhibet, si illi caloris & spirituum reliquiæ sint debiliores;
promovet, si fortiores. Septimum est: venarum obstructionem fluxum
non posse impedire, aut si semel impediatur, semper impedire, cū commo-
tio tam fortis non sit, ut obstructas venas aperire possit, aut si possit,
certe id statim post mortem facere, cum eo tempore adhuc sit fortissi-
ma. &c. Resp. (1) Est petitio principij, venarum obstructionē sangui-
nis fluxum non posse impedire, id quod probandum, non saltim
dicendum fuisset. (2) est Ignoratio Elenchi, partim dum dicit, vena-
rum obstructionem fluxum, utut semel, non tamen semper impe-
dire posse: ecquis enim hoc unquam asseruit? Partim dum dicit,
com-

commotionem tam fortem non esse, ut venas obstructas aperire possit, aut si possit, certe id statim post mortem facere. Quasi verò sola commotio sanguinem eliciat! Quasi non externus etiam calor plurimum huic venarum apertioni inserviat! Quasi non impedimenta adsint, quæ sanguinis effluxum inhibere possint. *Octavum* est: *Calorem aeris solum non esse causam fluxus sanguinei.* Resp. iterum committitur ignoratio Elenchi. Causæ enim illæ non sunt sejungendæ, sed potius jungendæ.

§. VI. Deniq; concludit h. m. Q. ipsum solum non habet vim sanguinem exciendi, illius quoq; umbra & vestigium solum non habet vim sanguinem exciendi. Atqui commotio humorû & permutatio ipsa solum non habet vim sanguinem exciendi. E. neque umbra & vestigium. Majorem probat, quia vestigium & umbra nō transcendunt spheram potentiaë illius, cujus umbra & vestigium sunt. Minorem ex eo patere dicit, quia [1] sequeretur, talem vehementem commotionem & permutationem humorum, ex aliis etiã actionibus, & non solum ex pugna cum hoste de vita ortã, sanguinem ciere [2] quod illa commotio in interfecto, cum hoste adhuc contendente, nō legatur è naribus, ore aliisq; locis patentibus, sanguinem expulisse. Resp. Negando Minorem. Ad probationem dicim[us] [1] vehementem humorum commotionem non ex hostili saltim aliquo conflictu, sed ex aliis etiam actionibus sanguinem ciere posse. In cujus rei fidem ipsam rerû omnium magistrã, experientiam citamus. Ecquis n. ignorat, sanguinem cursu nimis commotum sæpi[us] ex cursorum ore, naribusq; emanasse? Quis etiam adeò hospes erit in amplissimis Physicæ pomœriis, qui nesciat summam iræ vehementiam? Incalescit hæc cor, effervescebat sanguis, artus trepidant, manus tremunt, spiritus in totum corpus se diffundunt, & exeunt quasi suppetias instrumentis latenti, muscoli sese producant ad ietum inferendum, tumescunt venæ, & quidem ita, ut, teste Seneca, nō nunquã etiam nimio fervore ruptæ magnam sanguinis copiam emiserint. (2) Quid opus est, ut ex interfecti (rectius interficiendi) cū hoste adhuc contendenti, naribus & ore sanguis exeat? Adsunt aliæ viæ patentés, vulnera sc. ab occisore inflicta, per quæ facillimè elabi potest. Tantum. Cætera quæ restant, alii occasione reservabimus.

SOLI DEO GLORIA.

05 A 171

ULB Halle

3

004 206 754




S6

V17







Inches
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow


Red

Magenta

White

3/Color

Black



7. 9

ICA SECLUNDA

CIDIO

X INTEREM-

CADAVERE,

CCISORE,

Leucoreâ

S E S

EDUS *Doigt/*

Misnicus,

ENS

ERICUS *Schulze/*

is Saxo,

ium disquisitioni

nt

D. 18. Septembr:

inis.

ERGÆ,

ORCKARDI.

LXVII.

